

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**SCORBUTO**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS SPECTABILIS  
DOMINI DECANI ET TOTIUS INCLYTAE  
FACULTATIS MEDICAE

PRO

DOCTORIS MEDICINAE GRADU

RITE CONSEQUENDO

IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA PUBLICAE  
ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**JOSEPHUS VURTZENBERGER,**  
HUNGARUS PAKSINO TOLNENSIS.

---

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Univer-  
sitatis majori die Juni 1831.

---

PESTINI,  
TYPIS LANDERERIANIS.

PATRI OPTIMO

**BENEFACTORI MAXIMO**

HAS TENUES LABORUM SUORUM

**PRIMITIAS**

SACRAT

AUCTOR.

**S**corbutus Hungaris Süly, Germanis Scharbock, dicitur illa cachexia, in qua sanguis a statu normali ita recedit, ut caractere arterioso imminuto, praevaleat venosus. oxygenii copia minor, carbonii vero, et hydrogenii adaucta reperiatur coagulabilitasque tarda reperiatur; insignitur porro sensu debilitatis nimio, lassitudine artuum, motu tar- do, genuum rigiditate, gingivarum relaxatione, et sanguinolentia, dentium vacillatione, petechiis, cutis flacciditate, et pallore, respiratione difficili, animo moroso, nisu in haemorrhagias, exulcera- tiones, urina rubra, brunea, aut nigricante, facil- lime putrescente.

Morbus hic jam antiquissimis temporibus no- tus fuerat, causae enim illum excitantes omni tempore exstitero, ideo morbi hujus mentionem invenimus jam apud Hippocratem, uti docet Rich- ter opere suo: In Hippocraticas scorbuti antiqui- tates Göttingae 1745, tardius a Plinio in Hist. nat. lib. XXV. cap. III. morbus descriptus fuit, qui

saeviebat in exercitu Caesaris ad Rhenum symptomatibus similibus scorbuti, illumque appellavit Somacace, et Scelotyrbæ; sed morbus tunc adhuc rarus erat ob itinera maritima rariora, quibus frequentius susceptis, et morbus hic latius propagatus est, descriptionem tamen exactiorem solum saeculo XVIII. obtinuimus.

Auctores distinguunt scorbutum terrestrem, et maritimum, haec tamen divisio essentialis nequaquam est, nec alicujus practici valoris: quia symptomata utriusque eadem sunt, uterque easdem agnoscit causas, et iisdem remediis sanatur; decursus solum scorbuti terrestris est lentior, gradus mitior, et frequentius sporadice occurrit. Alia distinctio scorbuti est in contagiosum, et non contagiosum juxta Foderé, observationes tamen tam antiquiores, quam recentiores docent: scorbutum in primo et secundo stadio minime contagiosum esse, solum in tertio, ubi febris putrida gravissima evolvitur, generato contagio, communicari posse.

Scorbutus si non prius sanetur, in tribus decurrit stadiis: quorum primum est morbi incipientis, secundum incrementis, tertium colligationis.

Stadium primum. Scorbutus lente evolvitur, ideo ad initium morbi symptomata minus clare observatori patent, adgreditur vero hominem antea sanum inconsueta lassitudine, sensu debilitatis uni-

versali motus muscularis tarditate, crurum gravitate, stupore, et rigiditate genuum, accedit respiratio difficilis, tarda, anxiosa, color faciei, et cutis pallidus, flavicans, vel plumbeus, ceteroquin cutis sicca squalida est, comparent annuli coerulei circa oculos, labia evadunt coerulea, vel coeruleo viridia, cutis offert maculas plumbei coloris, magnitudine aequant lentem, saepe majores sunt, comparent in suris, cruribus, brachiis, in abdomine, rarius in facie, nonnunquam loco macularum comparent exigui tumores, quorum apices vesiculis notantur, quibus collapsis maculae profunde rubrae remanent, pedes circa malleolos oedematose intumescunt, sentitur pruritus gingivarum, quae tumidae, et lividae cernuntur, venarum varicositas inducitur, et pressione licet mitiori gingivae facile sanguinem fundunt, halitus oris est foetidus, sapor inamoenus quasi putridus, appetitus multum immittitur praecipue in cibos animales, augetur in cibos vegetabiles et potum acidum, animus est morosus, tristis, oculi languidi, motus omnis molestus, continuo sedere, aut jacere desiderant aegri, sanguis casu, vel arte eductus resolutus nigricans conspicitur, difficulter coagulatur, multum de sero tenet, et placentam mollem friabilem format, pulsus est mollis, debilis, tardus, febris nulla, urina turbida brunnei coloris facillime putrescit.

Stadium secundum. In hoc stadio symptomata superius enumerata multum augentur, et nova quae-

dam accedunt, ut durities musculorum, artuum, in primis genuum rigiditas quae nonnunquam tumoris albi instar intumescunt, motus artuum est difficilis, dolorificus, accedunt dolores lancinantes, aut pungentes, rheumaticis multum similes, praeprimis femora, et crura impetentes, dolor colicus abdominis, cum umbilico retracto, alvo clausa, extenduntur dolores in cavum pectoris cum respiratione difficili molesta, ulcera in universo corpore praecipue vero in suris, et femoribus comparent, habitu proprio distinguntur, fundus illorum est laxus, planus, ut plurimum excrescentiis fungosis notatus, cito augetur magnitudine, margines illorum sunt tumidi, coerulei, ad attactum etiam leviolem sanguinem fundunt resolutum, ichore inquinatum, partes vicinas molles, imo et ossa destruentem, contiguae partes livent, oedematose tument, talia autem ulcera dum sanantur, granulatione e centro versus peripheriam procedente consolidantur, dentes denudati vacillant, nigrescunt, excidunt, nonnunquam et ossa maxillaria carie consumuntur, gingivae gangraenescent, varicositas venarum conspicue augetur, limites in gingivis non ponit, sed extenditur in palatum, linguam, et reliquam membranam mucosam organorum respirationis, digestionis, et organorum uropoëticorum, unde haemorrhagiae frequentes jam e cavo oris, e naribus, jam e ventriculo sub emesi, ex ano per diarrhoeam cruentam, e pulmonibus sub tussi, ex organis uropoëticis locum habent; sub hoc rerum statu vires

ad imum prosternuntur, aegri lectum deserere non valent, motum omnem horrent, frequentius lipothimia corripuntur, quibus miseriis adhuc accedit extremitatum inferiorum paralysis, vulnera, aut fracturae quondam illatae, et consanatae nunc aperiuntur, ossa emolliuntur, et facillime fracturae contingunt, non obstantibus tamen his gravibus symptomatibus pulsus manet tardus, parvus, mollis. febris est nulla.

**Stadium tertium.** In hoc stadio morbus maximum quem potest assequitur gradum, comparent nunc symptomata febris prius absentis, et quidem vel febris putridae, vel putrido nervosae, debilitas nunc est summa, aeger jacet immobilis, quasi paralyticus, soporosus, dum excitatur mussitat, tacite delirat, accedunt lipothimiae frequentes, nonnunquam convulsiones, haemorrhagiae largae, color cutis fuscus, aut nigricans evadit, ulcera cavi oris, et reliqui corporis gangraenescent; halitus oris et universi corporis est foetidissimus cadaverosus, musculi et partes molles consumuntur, ipsa ossa ab ichore arrodente destruuntur, haemorrhagiae lethales internae, vel externae, sub incremento petechiarum, et ecchymotum, pulsus aliquantum accelerato, et signis hydropis comparentibus, finem vitae annunciant, aeger tamen de nullis doloribus, aut molestiis conqueritur, frigore extremitatum increscente, pacate exstingvitur.

Morbus nunc descriptus in symptomatibus suis varias offert mutationes, per complicationes, quibus et hic morbus obnoxius est, ita occurrit cum febris, exanthematibus, et cachexiis aliis, in primis complicatur cum syphilide, et scabie: ita in litoribus maritimis Norvegiae occurrit morbus endemicus Radesige dictus, alias Lepra scandinaviensis, inquisitionibus recentissimis omni cum attentione institutis inclaruit, hunc morbum esse Luem syphiliticam scorbuto junctam, idem morbus epidemius occurrit in Districtu Fluminensi, ea tamen cum distinctione, quod jam cum syphilide, jam cum scabie junctus occurrat, et hic Scerlivo vocatur.

Observatur in infantibus teneris praecipue cachecticis morbus peculiaris scorbuto analogus, qui cancer aquaticus, cancer labiorum, stomacace, noma, appellatur. Praecedunt hunc morbum lassitudo, inquietudo, morositas animi, appetitus imminutus, alvus constipata et aliqua symptomata febris, ipse vero morbus se insinuat tumore duro, rotundo, qui insidet internae superficiei buccarum, aut labiorum, linguae, palato, gingivis, vel tonsillis, hic tumor in superficie superiori exhibet maculam rubram, magnitudinis pisi, aut fabae, macula rubet, calet, in medio albescit, quo magis rubescit, eo magis augetur dolor; locus infra punctum album solvitur, formatque crustam, quae in mitiori gradu morbi secedit, et ulcus sensim consolidatur, in graviore morbo vicinas partes adgre-



ditur, destruit, saliva effluit foetida sangvinolenta, in hoc gradu et ossa maxillaria consumuntur, masticatio, deglutitio, respiratio impediuntur, infans emaciatur, et signis hydropis comparentibus extingvitur.

Duratio scorbuti est varia, pro actione, ac intensitate causarum excitantium diversa ita, ut nonnunquam paucarum septimanarum curriculo absolvatur, dum alias per plures menses aegros affligit; in genere terrestris lentius decurrit, nec eum in gradum increscit, ut maritimus.

Terminationes similes reliquorum morborum nanciscitur, nempe in sanitatem, in alios morbos, et in mortem; exitus primus in omni gradu morbi possibilis est, frequenter tamen origini aliorum morborum occasionem praebet, ut: doloribus Chronicis, contracturis, ankylosibus spuriiis, profluviis variis, stomatorrhogiae, pneumonorrhogiae, hydropi, et ulceribus, mors vero virium exhaustionem, resolutionem sanguinis, lipothimiis frequentioribus, haemorrhagiis largis insecutis, evenit.

Cadavera scorbuto peremptorum vegetationis processum adeo exhaustum offerunt, ut saepe vix vestigia illius adpareant: Sanguis illorum conspicitur resolutus, nigricans, serum praedominatur, diversa quantitate in cavis collectum cernitur, coloris viridicantis, indolis fere acris, variae partes

corporis gangraena adfectae videntur, aliae autem partes in primis viscera interm̄ pallida, livida, aut nigricantia deteguntur, partes durae. molles friabiles sunt, ossa morbosam fragilitatem exhibent.

**Aetiologia.** Causae scorbuti sunt aliae disponentes, excitantes aliae; momenta disponentia sunt: aetas provector, organismus exhaustus, constitutio corporis debilis, laxa, spongiosa, corpus cachecticum, temperamentum iners, melancholicum, animus morosus, tristis, animi pathemata deprimentia, Regiones septentrionales Europae, et Americae, ut Grönlandia, Norvegia, Svecia, Dania, Anglia, Russia, Hollandia, et pars septentrionalis Germaniae, morbi plures cachectici, ut icterus, hydrops, chlorosis, tabes, profluvia in primis cruenta, quae potentiae omnes vegetationis processum subvertunt, vires exhauriunt, et dispositionem ad morbum adducunt.

**Praesente dispositione momenta, excitantia plura concurrunt ad morbi genesim, et quidem:**

1-o Ipsa momenta disponentia, dum longiori temporis intervallo, aut majori vi in hominem agunt, scorbutum suscitare solent.

2-do Accusatur aër, et quidem a) Aër frigidus qua principalis causa excitans scorbuti, cum in

Regionibus supra dictis aër ut plurimum frigidus scorbutum frequentiore reddat; nihilominus tamen unica et sufficiens causa excitans scorbuti non est, quia saepius observatus fuit ejusmodi indolis aër, quin scorbutus inde exortus fuisset, cum alias nequaquam ita constituto gravissime saeviebat. b.) Aër humidus potentem exhibet causam excitantem scorbuti, quia ubicunque scorbutus epidemicus, aut endemicus observabatur, aër humidus nunquam abfuit; aër autem talis occurrit ad litora maritima, in Regionibus paludosis, vallibus profundis, casis humilibus, ad Regiones quae exundationibus obnoxiae sunt, quales et in Hungaria satis copiosae occurrunt, patria autem ejusmodi aëris est: Anglia, Batavia, Aegyptus. c.) Aër aliis heterogeneis exhalationibus, gasibus mephiticis inquinatus, huc pertinet: aër carceralis, navalis, ventilatione non repurgatus, ejusmodi est aër castrensis, nosocomialis, in urbibus obsessis, in cubilibus a' multis hominibus inhabitatis, ubi periculosa grassatur quaedam epidemia, cadaverum cura non geritur, non sepeliuntur; sub his rerum adjunctis aër exhalationibus diversis inquinatur, fermentationis varii processus locum habent, ipsi homines respirationis processu aëris partes constitutivas mutando, noxium reddunt.

3-io Neglecta mundities corporis, loci inhabitati, vestimentorum, evolutioni morbi multum favent.

4-to Motus corporis intermissus, aut excessivus, vitae energiam potenter debilitant, initio dispositionem, serius ipsum morbum excitare valet, ideo facile evolvitur in otiosis, pigris, in obsessis, in inclusis, contra qui excessivo modo motum muscularem exercent, per nimiam virium intensionem hanc facultatem exhauriunt, et evolutioni scorbuti originem praebent.

5-to Alimenta, et potulenta, horumque quantitas, aut qualitas vitiata, gravem morbi causam constituit defectus alimentorum, tali enim occasione scorbutus latissime extenditur, uti hoc Epidemia anno 1763. Neapoli grassans, ubi homines cibis e destructa farina victitantes scorbutici evaserunt, longe item magis annis 1771. et 72. saeviens exhibet; in nostra Hungaria 1803. late per Comitatus Békesiensem, Csanadiensem, Aradiensem, et Torontaliensem extensus erat, ob defectum brassicae capitatae albae acetatae ut describit Schraudt, cui homines harum Regionum multum adsveti erant. Sed non solum ciborum quantitas, verum etiam qualitas eorum magnum influxum ad scorbutum producendum habet, hujus ordinis sunt: difficilioris digestionis, vel parum nutrientes; aut corrupti, tales sunt cibi duri, exsuccii, acres, digestu difficiles, ut panis e farina corrupta adhibitus, non rite fermentatus, cibi farinacei ex destructa farina praeparati, herbis venenatis, secali cornuto, lolio temulento, raphano raphanistro, aut similibus inqui-

nati, caro piscium, avium marinarum, porcina, caro fumo indurata, sale copioso condita, cibi animales pingves, caseus, farcimina, vegetabilia dura, tenacia, exsucca. Ab auctoribus nonnullis accusatur ut praecipua causa excitans defectus vegetabilium, cum tamen nautae saepe per plures septimanas hoc victu destituantur, et quaedam Americae septentrionalis Regiones illis orbae, scorbuticis non laborent, aliae vero Regiones illis abunde refertae frequentius scorbuto vexentur, in horum defectu eminens causa adstrui nequit.

6-to Multum confert ad morbi evolutionem potus parcus, aut qualitate mutatus, quod longe frequentius nautis maritimis, quam continentis incolis accidit; illius defectus aegerrime fertur, organismi vires nimium debilitat, resolutionem humorum inducit, partium solidarum relaxationem, et omnia phaenomena scorbuti comitem habet, majori adhuc vi iniqua agit aqua heterogeneis impura, ut aqua marina, putrida, vel alii potus destructi, narcoticis acribus defraudati, huc vinum acidum, cerevisia fermentans.

7-o Insigniter adjuvat has potentias nocentes abusus remediorum evacuantium ut: emeticorum, et purgantium, quae materiam organicam subtrahendo, organismum insigniter debilitant, et functiones vitae vegetativae restringunt, huc referuntur omnia remedia, quae organismum directe aut in-

directe debilitant, talia sunt solventia, antiphlogistica diu adhibita, narcotica, ut: acidum hydrocyanicum, aqua laurocerasi, opium, hyoscinus, stramonium etc. venena caustica, ut: arsenicum, cuprum, hydrargyrum.

8-vo Praeter huc usque adductas causas, non minoris momenti sunt etiam animi affectus deprimentes, uti: tristitia, terror, anxietas, metus continuus futurae sortis, desperatio, curae graves varii generis, desiderium nimium revidendi patriam.

9-o Tandem diversi generis morbi febriles, et afebriles, gravissimam saepe causam excitantem constituunt: prioris ordinis sunt febres intermittentes obstructionibus organorum abdominalium junctae, et febres lentae, quas jam Hippocrates, Avicenna, et Sennertus accusarunt; majori tamen vi agunt morbi afebriles, uti profluvia in primis cruenta, exanthemata chronica, lepra, scabies, cachexiae diversae, praecipue syphilis.

Causae adductae raro seorsim morbum producant, longe frequentius plures symbolam suam ad morbi genesim conferunt.

Causa proxima varia statuebatur pro diversitate Pathologiae, quam vario tempore Medici professi sunt: sic Pathologi humorales causam in humoribus quaesiverunt, supponentes corruptionem sanguinis acidam, aut alcalinam ammoniacalem (Boer-

haave) alii peculiarem acrimoniam, alii putredinem sanguinis accusarunt, unde scorbutus habebatur acidus, alcalinus, rancidus, putridus; sed Pathologi hi vitam ex parte solum contemplantes multum a vero aberrarunt producta morbi pro causis habendo. Non minus veritati aliena est sententia putredinem sanguinis accusans, cum sanguinis scorbuticorum chemice exploratus, nulla unquam signa putredinis exhibuerit, praeterea non solum scorbutus signa sanguinis resoluti offert, sed etiam alii nonnulli morbi, quorum praecipuum symptoma in debilitate vitae radicatur.

Alterius opinionis erant Pathologi solidares, qui naturam morbi in vitiis solidorum quaesivere, horumque debilitatem, laxitatem culpant, quae humorum corruptionem ut effectum post se trahunt; nihilominus et hi Pathologi laterales similem de vita opinionem habentes veritati minus accesserunt, partes enim solidas, et liquidas separatas absque reciproca actione cogitare non possumus, unde nec solis legibus chemicis, nec solis dynamicis obediunt.

Adfertur defectus oxygenii (Jackson) praevalens principium phlogisticum (Trotter) quo sanguis magis indueret naturam venosam. Mac Carthy utramque sententiam defendit, C. Haase naturam scorbuti in dynamicis et chemicis erroribus quaerit, quorum priores in fracta irritabilitatis energia syste-

mais vasorum reconditas esse cogitat, posteriores vero in disproportionem oxygenii ad principium phlogisticum reponit.

**Causa proxima scorbuti radicitur in abnormi reproductione per processum vitalem determinata, quae vegetatione, sangvificatione morbosa se exhibet, nisu sangvinis in resolutionem, et caractere sangvinis venoso praedominante.**

**Prognosis.** Scorbutus constituit morbum gravem nihilominus tamen sanabilem, cujus sanabilitas dependet a gradu, duratione, constitutione, et complicatione morbi; in stadio primo, et secundo morbus fere semper domatur, in stadio vero tertio accedentibus signis febris putridae frequenter morte terminatur; majus periculum minatur scorbutus maritimus, quam terrestris sed et hic fracto influxu potentiarum nocentium, concessio aëris sicci salubrioris, et vegetabilium usu, animi affectibus compositis, mirum in modum decrescit; scorbutus terrestris raro illum intensitatis gradum adsequitur quem maritimus, ob causarum excitantium faciliorem correctionem, et evitacionem, multum etiam facilitant prognosim duratio, constitutio, et complicationes variae, quo enim recentior fuerit morbus, eo facilius regitur, et desiderata sanitas reducitur, cum contra morbus in menses plures jam excurrans, vix spem sanitatis restituendae saepe relinquat, idem valet de constitutione corporis, quo



enim debilior, quo tenerior, quo magis organismus exhaustus fuerit, eo difficilius vita langvens erigitur, status sanguinis emendatur; gravem Prognosis modificationem inducunt complicationes variae cum aliis morbis, inter quos eminent scrophula, rhachitis, scabies, syphilis, quia et hi morbi in vegetationis langvore, et actionis vitalis debilitata energia fundati, insignem saepe Therapiae modificationem, et non raro scorbuto oppositam deprecant, exigua etiam spes adfulget, dum color macularum nigrescit, ulcera gangranescunt, nimium foetent, haemorrhagiae, diarrhoeae largae comparent, lipothymiae accedunt. Prognosis Cancris labiorum magis adhuc dubia est quam scorbuti, quia morbus celerius decurrit, vehementioribus symptomatibus stipatur, individua fere solum juvenilia morbis cachecticis laborantia adgreditur,

Therapia est duplex: prophylactica, et morbi evoluti.

Cura prophylactica adhibetur ad morbi evolutionem impediendam, ideo summe necessaria est in navibus maritimis, quae itinera longiora suscipiunt, in carceribus, nosocomiis, castris; versatur vero haec in causarum nocentium remotione, annihilatione, quo respectu primam attentionem meretur aër, qui purus conservari debet, ideo ventilationes in his locis nunquam sunt negligendae, destructus autem fumigationibus corrigendus, in quem finem an-

tiqui commendarunt ignem, ex ligno communi, aut aromatico quodam, ut: ligno juniperi, majorem efficaciam ostendunt acida in primis mineralia, quorum usus ad incrementa medicinae recentioris pertinet, virtus illorum innotuit per Car. Michael Schmidt Saeculo XVIII-o qui adhibuit gas nitrosum, evolvendum e nitro per acidum sulfuricum, aliud est propositum a Chemico Guyton Morvean qui commendat vapores acidi muriatici, evolvendos e sale comunni adfuso acido sulfurico, majorem virtutem monstrat vapor chlorinae, recentissime autem adhibetur chloras calcis, quod praeparatum in Anglia jam anno 1798. in scopum technicum adhibebatur, per Pharmacopoeum Parisiensem Laborrac anno 1823. in usum medicum vocatum, post duos annos per universam Galliam promulgatum fuit, egregie adjuvant fumigationes, mundities tam corporis proprii, quam loci inhabitati, ideo vestes frequenter mundare, purgare oportet lotiones corporis cum aqua, acidis vegetabilibus, mineralibus dilutis, utilitatem summam adferunt, maximam curam merentur alimenta, et potulenta, ideo in navibus maritimis in castris etc. praefecti solliciti esse debent de quantitate justa, et qualitate bona alimentorum, de debita proportione inter cibos animales, et vegetabiles, et ubicunque occasio adest pro illis, eorum usum concedant, praeventatur in navibus maritimis defectus alimentorum unde sufficienti quantitate provisae itinera suscipiant, assumptis etiam aliquot doliis gummi, et gelatinae tabulatae; por-

ro ad scorbutum praecavendum requiritur potus purus, et sufficiens, ideo aqua in doliis ad modum Chemici Lowitz conservetur, adhibeantur praeter aquam, et alii potus spirituosi moderata quantitate, ut vinum, crematum, cerevisia; cura prophylactica extendatur etiam in motum muscularem, qui moderate exercendus, et animi affectus deprimentes exhilarationibus gratis sopiendi erunt, hoc modo C. Cook in longo suo itinere maritimo ita feliciter morbum evitavit, ut nullum scorbuticum haberet.

Cura morbi evoluti. In cura morbi urgentissima indicatio est, causas excitantes remove, et annihilare, ideo aëris, munditiei neglectae, alimenterum incongruorum, motus muscularis et animi affectuum actio iniqua inhibeatur, et emendetur, ubi possibile est, maritimi scorbutici aegri transferantur in continentem, quo facto potentiis nocentibus silentibus, cibis vegetabilibus, potibus acidis concessis, scorbuti symptomata mox disparent. Non obstante adhibita cura prophylactica, et causis nocentibus remotis, tamen saepe Scorbuti evoluti phoenomena perdurant, unde alteri indicationi locus erit, quae expletur virium dejectarum erectione, partium solidarum laxitate sublata, et sanguificatione emendata: huic indicationi satisfacit methodus roborans, et ita dicta specifica, seu anti-scorbutica; antiquiores Medici et ipse C. Lind commendarunt quidem evacuationem sanguinis, ob signa aliqua fallacia inflammationis, nihilominus hanc

methodum semper noxiam fuisse, observatores omnes fere comprobant, efficaciam vero eximiam ostendit methodus roborans, in quem scopum adhibemus amara, et amaro aromatica, ut: centauryum minus, trifolium fibrinum, absinthium, fumarium, baccas juniperi, C. Fridericus Hoffmannus maxime laudat acorum, his remediis saepe ex integro cedit, si vero neglectus est, aut majori vi saevit, efficaciora adhibenda sunt, in specie china, et ferrum cum praeparatis suis; remedia enumerata insignis virtutis, tamen nonnunquam efficacia destituuntur, si ita dicta specifica, seu antiscorbutica non adhibeantur, uti sunt: herba, et radix cochleariae armoricae, nasturcii aquatici, beccabungae, caepa, allium, raphanus rusticanus, zingiberis, semina sinapis, frondes sabinae, adhibetur harum herbarum succus recens, vel ordinantur forma lactucae, aut cerevisiae, vel vini medicati; majoris adhuc virtutis sunt acida, et quidem tam vegetabilia, quam mineralia, ut acetum vini bonum, succus citri, quem in primis C. Bank laudat, exhibetur hic succus cum aqua et sacharo, vel cum vino, et vocatur vinum Lindii, ita et alii succi acidi ut rubi idaei, berberum, ribisiorum, fructuum horreorum, majorem adhuc utilitatem acida mineralia adferunt, ut: acidum nitricum, muriaticum, chlorina, et acidum sulfuricum, quod ceteris praefertur, praeparatum illius, sub nomine acidi Hallerii; praescribuntur ad scrupulum unum, drachmam semis, usque unam, in libra una aquae, vel decocti

ejusdam emollientis aut Malthi, in majori gradu debilitatis stimulantia fortiora, liquores aetherei camphora indicantur.

Curam internam externa insigniter adjuvat, in quem finem lotiones corporis crebriores cum aqua pura, acidis vegetabilibus, mineralibus, cum remediis spirituosis ut vino, spiritu vini, spiritu vini camphorato, cum infusis herbarum aromaticarum, aut balnea similia utilia erunt. Remedia revellentia in hoc morbo facile nocent, quia plagae rubefactae, cito in exulcerationem, aut gangraenam transeunt.

Praeter curam generalem, saepe et symptomatibus urgentibus occurrendum est, inter quae principalem respectum merentur gingivae relaxatae, fungosae et exulceratae, ulcera in diversis partibus corporis praesentia, contra gingivas scorbuticas laudantur remedia adstringenti raborantia, et acida, uti: quercus, tormentilla, salix, quae forma decocti ordinantur, additis remediis spirituosis, eg. spiritu cochleariae, aut tincturae variae, in primis myrrhae, adhibetur utiliter solutio alumini, acida vegetabilia, et mineralia, C. Svieten maxime laudat acidum muriaticum, majorem tamen efficaciam experti sunt observatores ab acido pyrolignoso.

Ulcera scorbutica solertem requirunt adplicationem remediiorum adstringentium, et stimulan-

tium, ut: corticis quercus, salicis, radicis tormentillae, gummi kino, aluminis, forma conveniente, utiliter adhibetur pulvis carbonum, cum alumine, camphora, myrrha, forma pulveris, vel unguenti juxta C. Rust parati, quod et Cook optimo cum effectu adhibuit.

Rp. Unguenti de Stirace

Pulv. carb. lig. tiliae alco.

aa unc. unum

camphorae

myrrhae

aa drach. unam

olei terebinth. q. s. ut f. unc.

porro unguentum Elemi, aegyptiacum, utilia fuere, fomentationes vicinarum partium cum herbis aromaticis efficaces sunt, praeter haec remedia acida mineralia, et pyrolignosum eximium praestant effectum, contra haemorrhagias colliquativas eadem methodus adstringenti roborans utilis erit, iisdem remediis et diarrhoea suffertur, adhibito simul opio interne, et externe dosi moderata, lipothymiae remedia volatili stimulo agentia deoscut, maculae scorbuticae, lotionibus spirituosis, acidis, fomentationibus aromaticis tolluntur.

Cura Canceri aquatici iisdem ac Scorbuti absoluitur remediis, antiscorbuticis, et roborantibus, nihilominus tamen complicationes quae potissimum

adsunt, curam modificare svadent, tales complicationes sunt scrophula, et rhachitis, quae corrigendae erunt, adhibita simul methodo antiscorbutica.

Tertia indicatio jubet convalescentiae periodum debite regere, huic indicationi satisfit, per evitationem causarum nocentium, per methodum blande roborantem, qua convalescens longiori adhuc tempore uti debet.

---

# Monographi

praeicipui de hoc objecto.

---

- Rossei de magnis Hippocratis lienis etc. commentarius Amstel. 1564.
- Vieri, observ. L. I. de Scorbuto. Amstel 1567.
- Boerhaavii, Aphor. de cogn. et cur. morbis. Lugdun. Batav. 1709.
- Jac. Lind, Abhandlung vom Scharbock. Nach der zweyten Ausgabe aus dem Engl.
- Bacheracht's pract. Abhandlung über dem Scharbock zum Gebrauch der Wundärzte, die Russ. Armee u. Flotte St. Petersb. 1786.
- v. Schraut's Nachricht v. Scharbock. Pest 1804.
- G. Blanc's Beobacht. über die Krankh. der Seelcute a. d. Engl. Marb. 1788. p. 549.
- V. Cullen, Anfangsgründe der pr. M. B. IV.
- Ch. Ludv. Hoffmann, vom Scharbock u. Münster 1782.
- Fr. Milman, Untersuchung über den Ursprung der Symptome des Scorbutus, und der Faulfieber. U. d. Engl. übersetzt v. H. W. Lindemann. Berlin 1795.
-



- Th. Trotter**, neue Bemerkungen über den Scorbut.  
U. d. Engl. von C. F. Michaelis. Leipzig 1787.
- J. Marsovszky**, Diss. de Scorbuto. In m. Stollii  
Diss. med. ad morc. chron. spectant. ed. Eyerl.  
Vol. I. Vindob. 1788. p. 24 — 72.
- J. R. Köchlin**, über den Scharbock und die Heilung  
desselben mit Salpeter-Salzsäure. In der med.  
Chir. Zeitung Jahrgang 1822. B. 2. S. 401 — 432.
- J. W. Mac Carthy**, dissert. med. inaug. sistens  
Scorbuti Theoriam etc. Vindob. 1822.

---

18

566

## **T h e s e s.**

---

1.

**Magnitudo inflammationis e solo pulsu mensurari non potest.**

2.

**Doctrina Hippocratica de diebus criticis acriter licet a nonnullis impugnata, omni Medico utilis, et scitu necessaria est.**

3.

**Diaeta stricta mala curantur, et fiunt.**

4.

**Colliquatio scorbutica a putredine differt gradu, non essentia.**

5.

**Datur Scorbutus contagiosus.**

6.

**Medicina confert ad augendam et imminuendam frequentiam populi.**

7.

**Sectio abdominalis sectioni pubis semper praeferenda.**

8.

Non datur vera inter mortua, et viva corpora  
oppositio, nec ullus inter ea existit limes.

9.

9. Oxygenium verum est in organismo humano  
resolutionis principium.

10.

Vinum plus prodest quam nocet.

